



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 13. An bruta animalia ratione vtantur, ad tex. com. 33.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

notata in esse. Dixit autem (mortalium) aut propter intelligentias separatas S. Thomae iudicio, quae absque illo praedictorum intellectum habent. Humanae enim rationi soli, inquit Themistius, tanquam satellites & ministræ facultates ceteræ tribuæ fuerunt. Aut propter caelestia corpora, ut Philopon placuit, Simplicio, & Aetherior: quæ ut sunt sempiterna, sic nutritione non egent; neque sensibus, qui potentem intellectum excitent. Aut demum propter demones, & heroes, quos ponebant Platonicus; ut interpretatus est Albertus: respondebitque hic locus superioribus verbis tex. 29. quæ de Dæmonibus & Heroibus fuerunt exposita.

Ceterum in eorum genere, quæ intellectu carēt, quibusdam ne phantasia quidē inest perfecta. Nam imperfectam aliquam inesse omnibus; quæ sensum aliquem habent, dicitur in tex. 20. Alia verò ea sola viuunt; ut equus & animalia perfecta. Non quòd præter illam non habeat etiam sensum; quippe imaginatio est motus factus à sensu. Sed quòd hæc facultas in illis sit præcipua & illustris maxime, atque inter cognoscētes suprema & optima, veluti dux vitæ; quemadmodum in homine intellectus.

DIGRESSIO XIII.

AT non defuerunt, qui bruta hæc animalia ratione quoque uti dicerent. Testis est Plutarchus in lib. 7. de Philosophorum placitis c. 20. sanè ex ijs, quæ in araneis & formicis apparent, ut mittam cetera, permotos fuisse aliquos, ut dubitarent, num intellectu uterentur, scribit Philosophus in tex. 86. lib. 2. Phys. Rationalis enim facultatis participatio quædam, inquit Porphyrius in libro de Sacrificijs, omnibus competit animalibus, rectitudinem verò, sapientiamque ne hominem quidem adeptum reperire licet, sed & oratione cuncta & ratione, tum interiore, tum exteriori, ut ait, quorum verba non discerni à nobis mirum non sit, cum Barbarorum etiam multorum sermonem minime discernamus, neque tam loqui eos, quam indistinctè vociferari putemus, & omnino rationem in nobis & animalibus brutis nisi secundum magis & minus differre. Sed fortasse quo intellectu rationem in bestijs nominasset, paulo post exponit: omne, inquit, animatum sentiens habet etiam phantasiam, veluti rationem quandam. Phantasiam enim supremam in illis virtutem nominavit rationem. At Aristotelis sunt hæc verba ad initium lib. 8. de animal. historia. Sunt vel in plurimis ceterorum animalium vestigia morū animi humani, quamquam hæc in homine apertius discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia: atque etiam prudentiæ imago inest in multis. Alia enim eo, quòd magis, minusve habeat comparatione hominis, differunt. Quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, alia in ceteris animalibus latius. Constat hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habituum, quasi vestigia & semina videmus: & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à beluarum anima propè dixerim. Itaque nihil remotum à ratione est, si partim eadem, partim similia, partim ex proportione in ceteris animalibus habeantur. Et ad initium Metaph. quædam scri-

Abit esse animalia alijs prudentiæ & disciplinæ magis capacia, quæ memoriæ & auditum habent, qui est disciplinæ sensus. Multaque Plutarchus disputat in Opusculo, cui titulum fecit, quòd bruta animalia ratione utantur.

Verissima tamen est Philosophi hoc loco pronuntiata sententia, bestias omnes imaginatione sola, hominem solum inter mortalia intellectu viuere, & rursum in tex. 157. in bestijs quidem confirmabit imaginem inesse, rationem autem non, & ideo nec fidē, nec persuasione, & in lib. de memor. & reminiscētia c. 4. in illis memoriæ quidem esse, ac reminiscētiā in solo homine, quoniam est velut ratiocinatio quædam, cuius capax est solus homo. Cognoscentis enim est dirigere & ordinare: Intellectus in nobis disponit omnia. Intellectui succedit in bestijs imaginatio. Vbi obiter adnotabis, neque estimatiuam, neque aliam vllam sentientem facultatem in animalibus esse imaginatione superiorem, atque ab hac in homine fieri statim transitum ad intellectum. Quibus, inquit, non inest λογισμός, aut imaginatio quæque deest, aut hæc sola inest. Inter imaginationem igitur & λογισμός interponitur nihil. Quare nec estimatiua, nec memoriæ facultates vllæ sunt ab imaginatione diuersæ, neque διαλογισμός. Porro idem Aristoteles in tex. 80. citato vniuersum hoc animalium genus, nec arte, nec inquirendo, nec deliberando, sed solo naturæ impulsu ac ductu, non secus ac plantas, operari vult. & in 8. lib. de Hist. esse in illis, non rationem, sed rationis vestigium quoddam. Ut enim inquit in homine ars, sapientia, prudentia, sic & in nonnullis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis. In canibus, simijs, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ ratione & arte constare videntur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoriā constant ceteri rationis vestigio & imagine: quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Denique ne in re certa sim nimius: Platonis verba subiiciam, qui de horum animalium generatione sub sibi Timæi sic habet. Gressilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philosophia penitus alieni ad caelestia nunquam oculos erexerunt, ex eo, quòd volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, vti nunquam sunt. Sed illas animæ partes sequuti, quæ in ventre & pectore dominantur, hoc est concupiscentem & irascentem, non intelligentem partem.

Ceterum ex his, quæ Philosophus tradidit, non bimembris modò animalium diuisio, sed & trimembris partitio fiet. Nec modò dicemus, animalia quædam intellectu, alia imaginatione viuere; sed & quædam solo sensu. Quippe quibusdam dixit solum inesse sensum tactum, alijs sensus omnes & imaginationem, alijs demum intellectum quoque. Quam partitionem apud Themistium quoque reperies in secundo libro de Posteriori Analyti, capite trigesimo quarto, et si pro imaginatione memoriā nominet; quòd vtraque vox eandem Aristoteli facultatem significet, ut suo loco docebitur. Imperfectiora igitur solo sensu viuunt, quia et si imperfectam quampiam imaginationem habeant, ea tamen non nisi simul cum sensu operantur. Alia imaginatione, si perfectionem adeptæ sint, quæ circa absentia operetur, memoriāque efficiat & experimentum. Alia demum intellectu, qui memorijs & experimentis ratiocinationem addit. Cum autem experimentum vniuersalis & rationis

Dicitur in homine ars, sapientia, prudentia, sic & in nonnullis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis. In canibus, simijs, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ ratione & arte constare videntur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoriā constant ceteri rationis vestigio & imagine: quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Denique ne in re certa sim nimius: Platonis verba subiiciam, qui de horum animalium generatione sub sibi Timæi sic habet. Gressilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philosophia penitus alieni ad caelestia nunquam oculos erexerunt, ex eo, quòd volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, vti nunquam sunt. Sed illas animæ partes sequuti, quæ in ventre & pectore dominantur, hoc est concupiscentem & irascentem, non intelligentem partem.

OO

Sensus inferioris.

Animali partitio.

principium existat; animalia perfectiora, quae experimenti, licet imperfecti, sensum habent, rationis vestigium atque initium habere dicuntur. Ad eum enim paulatim & sensum, vt est in 8. lib. de Hist. ab vno ad aliud naturam gradum facit; vt vix eorum confinium & medium cognosci possit, vtriusnam sit extremi.

TEXTVS.

Περὶ τοῦ τῆς θεωρητικῆς τοῦ νοῦς λόγος.

De Contemplatiua autem mente alius sermo.

COMMENTARIVS XXXIV.

Mirum omnino est, quantum interpretibus omnibus negotij facessant pauca haec verba. Alexander Intellectum Theoreticum interpretatus est intellectum, qui est in caelestibus & diuinis corporibus. Sed obiecit illi Philoponus, Aristotelem de eo intellectu loqui, de quo in tex. quoq. 21. loquutus est: eandem enim ferme vtrubiq. sententiam pronuntiauit: Ibi verò de intellectu humano loquebatur; quem animae genus esse, tamen à ceteris diuersum, dixit. Eundem voluit à corpore separari posse, velut perpetuum à mortali. Diuinorum intellectus nunquam separari potest, quòd sint sempiterna. Idem praeterea est intellectus, qui & Theoreticus & Practicus nominatur. Humanus intellectus est, non caelestis, qui Practicus appellatur. Idem igitur est, qui hoc loco dicitur Theoreticus.

Duobus autem modis Philoponus intellectum nostrum considerans, aut quatenus practicus est, aut quatenus Theoreticus: priori inquit modo separari non potest à corpore, quoniam ab eo pendet in sua operatione: posteriori autem potest. Et quoniam agere de abstractis & separatis à materia, non est naturalis, sed Primi Philosophi; idcirco de intellectu hoc Theoretico alio est sermo, hoc est alia tractatio; quae non ad Physicum, sed ad Metaphysicum pertinet. Tamen ad perfectiorem doctrinam de eo quoque, in tertio huius operis libro nonnulla doceat. Constat in extrema quaque naturali tractatione ad abstracta & diuina sese erigere; quemadmodum & in 8. Phys. lib. fecit.

Simplicius quoque intellectum nostrum Theoreticum intellexit, quatenus & à practico distinguitur & à passiuo, hoc est ab imaginatione: quorum quidem passiuo cum reliquis inferioribus gradibus contactus est & permixtus; practicus autem illi subditur. At Theoreticus neutrum habet; & idcirco neque est actus corporis nisi ex accidenti & quatenus inferioribus facultatibus vitur. Sed tamen, quia est in nobis, diuersus est ab intellectu illo planè abstracto, qui est in immortalibus substantijs; propterea alius de eo est sermo, hoc est diuersus planè est intellectus, aliq. omnino de eo ratio, quam de intellectu passiuo & practico, qui in nobis ipsis insunt: De quo intellectu illo, qui est in abstractis substantijs. Eandem puto fuisse Themistij & Auerois interpretationem, dum Theoreticum hunc intellectum interpretati sunt mentem, qua intelligimus & sapimus, eamque diuersè esse rationis à ceteris animae facultatibus; quòd nec sit facultas, nec pars animae, sed natura di-

uiniore inferiori huic inferta.

A Inter Latinos autem S. Thomas intellectum voluit ab imaginatione separari: vt quia in animalibus quibusdam, vt in homine, simul esse dixerat imaginationem & intellectum; in alijs imaginationem solam, qua in suis actionibus dirigantur non minus, quam intellectus homo: nunc addat, aliam tamen esse intellectus Theoretici & imaginationis rationem: magno per eumque has duas facultates differre, vt post in 3. lib. docebitur. Accommodatè magis hoc dicitur, si non intellectum Theoreticum nominasset; sed aut intellectum absolute sicut antea, aut intellectum practicum, à quem potius pertinet vna nostra directio. Denique vt alios praetermittam, credit Egidius expositam his verbis fuisse rationem eius, quod dixerat, posse in quibusdam solum esse sine intellectu imaginatione. Rationem autem esse, quoniam de intellectu Theoretico, qui abstractus est ordinis, alia ratio est, quam de imaginatione. At neque necessarium erat in hoc immortari, cum antea satis dixisset, posse inferiores facultates sine imaginariis esse, has tamen sine illis non posse. Non est hoc agendum fuisse, nominandum erat Theoreticum intellectus; sed intellectus absolute & sine imaginatione.

B Ergò multò verius & Philosopho magis conuenientè duplex ab his omnibus diuersa adiecta potest expositio. Altera est; vt ea verba non de nobis, sed de intelligentiarum separatarum, intellectu accipiuntur. Cum enim dixisset, quomodo res habet in mortalibus; ea quae omnia, quae in rebus hisce talibus habent intellectum, reliquis quoque conuenientè inferiores animae facultates; & quoniam erat de mortalibus aliquid dicere, ne manca esset & imperfecta doctrina. Propterea ne quis hoc ab eo debere possit; cum videret copiosiorè explanationem huius loci non esse, hoc solum adiecit; De intellectu Theoretico, hoc est intelligentiarum separatarum, quod verè & propriè Theoreticus est, non item practicus, alius sermo est; hoc est diuersa prorsus ratio, quae Physico consideranda non sit; sed ab eo, qui de nobis intellectu agit. Neque me mouet id, quòd Alexander obiecit Philoponus. Quia tanta est verborum diuersitas, vt facile possit alter locus de intellectu nostro accipi, alter de abstractarum substantiarum mente.

D Altera interpretatio potior videtur, vt de intellectu nostro loquutus sit Aristoteles; is enim duobus modis considerari potest. Aut quatenus circa res materiales & sensatas ratiocinatur ex ijs, quae sensibus percipiuntur, atque imaginatione subministrantur, earum rationes & causas inuestigando, atque effectibus colligendo causas, & rursum ex causis conueniendo effectus. Aut quatenus substantias immateriales & abstractas contemplatur, aut scientiarum habitus ita sibi comparauit, vt penes ipsum sit contemplari, quando voluerit. Priori modo, quae à sensibus pendet & imaginatione, superius dicitur. Quibuscumque inest ratiocinatio, inesse omnia est; quae praeter sensum & imaginationem. Posteriori autem modo intellectum considerans, & cum vocat Theoreticum, non ratiocinantem, & aliam ab eo affirmat esse sermonem, hoc est alio modo habere in illa operatione: Eam scilicet à sensibus pendere, neque ab inferioribus facultatibus; sed intellectui conuenire, vt est intellectus & habitus intellectus, & verò etiam à corpore & sensibus separatus.

fortasse etiam ratiocinationem primo loco dixit intellectum, quandiu est in corpore & penderet a sensibus intelligi ratiocinando. Et ideo dixit: Quibus inest ratiocinatio mortaliu. Intellectum autem Theoreticum appellauit intellectum nostrum absolute & a corpore separatum; quem in textu 21. dixerat posse solum a corpore separari. De hoc namque alius est sermo: quia & esse potest & operari sine inferioribus ceteris anima facultatibus.

TEXTVS.

Οτι ἡ ψυχή ἀπὸ τῶν κινήσεων ἐκείνων ὡς οὐκ ἐκείνων, ἀλλ' ἐκ τῶν κινήσεων ἑαυτῆς.

Quod igitur de horum unoquoque ratio haec propriissima, et de anima manifestum.

COMMENTARIVS XXXV.

Postrema haec verba, quibus omnia concludit, S. Thomas intellexit de superius dictis: definitionem scilicet animae antea expositam maximè proprie vnicuique animae conuenire. Sed melius multo Themistius, Philoponus, Simplicius, Auertoes, & Albertus ad sequentem referunt tractationem de singulis animae partibus & facultatibus seorsim. Nam cum eas omnes ordinauerit, & quomodo in uiuentibus sese habeant docuerit: praeterea etiam dixerit, ex generali sola definitione proposita speciales earum rationes non satis intelligi: neque debere nos generali illa definitione contentos esse; optime subiungens specialem singulorum tractationem futuram: hanc denum ait propriam ac specialem cuiusque facultatis considerationem propriissimam futuram esse, & maximè huic tractationi de anima accommodatam.

DIGRESSIO XIV.

De Anima facultatibus.

Hae sunt, quae de animae facultatibus vniuersè a Philosopho tradita sunt. In quibus satis quidem explicauit, tum diuersa illarum genera & ordinem, tum quomodo sint in uiuentibus distributae. At quomodo ea, tum inter se, tum ab anima, cuius facultates sunt, distinguantur, non a què aperte docuit. Anima coniungitur cum corpore, non solum videt esse, sed etiam vt operationem tribuat. Vtrūque & vidit & praclare haecenus tradidit Philosophus: dum principio illam considerans vt formam, duplicem eius definitionem colligit; quā manifestū est, eam immediatè & seipsa coniungi cum corpore, dareque illi essentiam tribuendo seipsam, vt essentialem formam. Deinde aggressus est agere de illius facultatibus. At non satis intelligitur, an ipsa quoque immediatè tribuat operationem, sitque ipsamet facultas operans: an verò posterius hoc minus per qualitatem aliquam exequatur, què illius sit facultas & operandi virtus: Facultatis nomine nihil significando, quā habilitatem ad agendum quidpiam. Hoc nobis attentius considerandum est, & pluribus explicandū. At paulo altius exordierendū.

Agentia naturalia operantur quidè per suam substantia formam, tanquam per principium primum ac praecipuum: vsunt tamen qualitatibus vt instru-

A mentis, quibus ita alterant & trāsmutant materiā, vt non eadem numero formas, siue accidentiū, siue substantiā, communicent, quas ipsa habet: sed alias illis similes ex materiē potestate educant; accidentarias primū alteratione, deinde & substantiales, substantiali ortu, tanquam vltimū suae operationis terminū, quo acquisito cesset omnis actio & motus; vt est in tex. 55. prioris lib. de ortu atq. interitu. Itaq. praeter conjunctionem & cōcursum vniuersālū & particularium causarum, in ipsis quoq. particularibus causis altera coniunctio est necessaria, primarij agentis & instrumenti. Etenim naturalia haec agentia quodam quidem modo perfectionem diuinam imitari videtur, dum non sunt stolidi, & sterilia; sed fecunda, possuntq. operari, ac sibi simile procreare. At in agente vnoquoq. tria omnino continentur, essentia, facultas operandi, & operatio. Essentia absolutū quidpiam & per se consideratum significat, quod ex gradibus & partibus essentialibus constat. Facultas priuationem quidem quandam innouit eius, cuius facultas est. Verum vt facultas patiendi materiē praeter actus formalis priuationem, entitas quapiam est ad suscipiendā formam apta. Sic facultas agendi formae non est sola operationis priuatio, sed absolutum quidpiam, quod operationem eam velut actum secundum promere possit. Itaq. essentia primū gradibus suis & partibus constituitur; essentiam deinde facultas sequitur operandi; ac demum ex essentia & facultate prodit operatio. Ex quibus videntur peti tres ex illis modis per se, qui numerantur in textu 9. prioris lib. de Polster. Analyti; quorum primus connexionem habet graduum essentialium, secundus connexionem virtutum seu proprietatum cum essentia, quartus & vltimus operationes.

B lam si in essentia velis gradus distinguere; in im-

C materialibus primū est gradus generis, & in materialibus materia tanquam patiendi & suscipiendi facultas. Illi mox aduenit differentia, huic substantiae forma, velut essentialis actus. Inde facultas & operatio, velut actus & perfectio facultatis & operantis naturae. Quamquam alio modo facultatem consequitur operatio, quā facultas essentiam. Facultas ex essentia spōte erumpit, simplici illa emanatione, quae conatum nullum requirit essentiae, à qua emanat. Operatio opus habet conatu, tum essentiae, tum facultatis: neque simplex emanatio, sed vera efficiencia productio illius nominatur. Facultas igitur patiendi quoquo modo ante omnem operationem consideratur, dum in vna tantum natura accipitur. At agendi facultas inter duplicem actum est media; inter actum primū essentiae, & actum secundum operationis, velut aptitudo & habitus essentiae in eum finem comparata, vt per eam essentia conuenientem suae naturae operationem promere possit. Quare non est praecipua operationis causa; sed velut praecipua ac primariae causae aptitudo.

D Haec omnia in solo Deo propter essentiae infinitatem idem profus sunt; in ceteris omnibus necesse est distingui. Ac operationem quidem certum est ab essentia differre. Facultatem autem, vt operationis principium significat, quoquo modo distinguendam esse; ex conditione atque imperfectione creatorum omnium agentium cognoscitur. Quia cum entia sint finita & limitata, quae actu constent & potestate; absorbere nequeunt, sibi que identificare virtutem suam & facultatem agendi. Sed vt essentia certis gradibus generis & differentiae continetur; sic vt operetur, ab-